

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 4246

**Auteur(s) :** Guillaume de Tournebu, Coutances (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1192

**Lieu d'émission :** Coutances

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume, évêque de Coutances, confirme les donations faites par Guillaume de Saint-Jean au monastère et aux chanoines réguliers de Sainte-Trinité de La Lucerne.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luserne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luserne, n° XXVIII, p. 24-25.

Texte établi d'après a

Omnibus sancte matris Ecclesie filiis ad quos presens scriptum pervenerit Willelmus Dei gratia Constanciensis episcopus salutem in auctore salutis. Noveritis universi quod Willelmus de Sancto Johanne, vir nobilis, dedit Deo et monasterio Sancte Trinitatis de Lucerna et canonicis regularibus ibidem Deo servientibus, per manum nostram, in perpetuam elemosinam, pro salute anime sue et antecessorum et successorum suorum, quicquid habebat in Torvilla, exceptis feodis quinque vavasorum quos habebat in illa villa, et excepto feodo Eudonis de Sotoast, et excepta terra quam Eudo de Sotoast dedit Willelmo de Bricheville, pro fine duelli, et excepta tangua, et excepto feodo Rualem de Braeio, que feoda retinuit in manu sua, et excepto hoc quod dederat leprosis Campellorum quod valet XXIII quarteria frumenti et II solidos Cenomannensium in rewardis, pro I quarterio frumenti de quibus IX quarteria sunt in molendino et residuum in hominibus assignatis. Dedit adhuc prefatis canonicis consuetudinarias preces carrucarum prefatorum quinque vavasorum, sicut de ipsis habere consueverat. Dedit et in terra sua Cruchete viginti quarteria frumenti. Et preter hec dedit eis quicquid habebat in eadem terra Cruchete, in nemore et terra, pro excambio octo quarteriorum frumenti que ipsi canonici excambiaverunt leprosis Heenville in molendino Constanciarum, excepta una acra terre quam ibi dederat abbatie de Hanbeia et 1 acra quam dederat abbatie de Monteborc, et dimidia acra quam abbatie Sancti Severi dederat, et excepta masura Gualois quam dederat abbatie Sancti Salvatoris. Dedit adhuc prefatis canonicis in Grimolvilla decem solidos Cenomannensium et IIII denarios quorum novem solidi sunt in feodo Willelmi de Paris, duodecim vero denarii redduntur de quodam pratello ; reliqui IIII denarii de quodam alio terre pusillo. Dedit et in eadem villa IIII quarteria frumenti que Hugo filius Osmundi reddit. Dedit et in piscaria sua salmonaria Montis Catonis quicquid capietur in ea unaquaque quarta feria ab ortu solis usque in crastinum ad eandem horam. Et in Grimolvilla masuram Roberti de Spina de Hauseia que continet quatuor aeras et tres (sic) de dominico. Dedit et apud Montcaton masuram que fuit Ricardi de Pratis cum una acra terre ad Doit Vuasnac, et quindecim solidos Cenomannensium in molendino suo foleor de Constanciis. Dedit et quinque solidos Cenomannensium in tenemento Roberti de Ponte. Hec prescripta dedit prenominatus vir nobilis Willelmus de

Sancto Johanne predictis canoniciis per manum nostram in perpetuam elemosinam. Cetera vero sequentia dederat idem Willelmus prelibatis canoniciis per manum predecessoris nostri Ricardi Constanciensis episcopi : videlicet dimidiā ecclesiam Sancte Marie de Torvilla et circa ecclesiam tres virgatas terre octo perticis minus, et unam masuram quatuor acrarum et dimidiā virgatam ; et in Grimolvilla duas garbas decime de tota terra sua, excepto quod monachi de Moretoneo in eadem decima habent, et unam masuram duarum acrarum, et ad Montcaton alteram masuram duarum acrarum ; et in Heenvilla totam decimam ferie et piscarie anguillarum ; et apud Constancias totam terram a masura Rogeri Burnel usque ad terram de Templo, exceptis terris Odonis de Ponte et Rogeri Garet. Dedit et totum feodum Gisleberti filii Petri, et in molendino quod Willelmus de Ponte ibidem tenet de eo decem quarteria frumenti. Et apud Grimolvillam decimam redditus terre Rosselli. Et apud Pomariam duas garbas decime terre Cornart, et apud Sanctum Ursinum decem acras terre et totam terrem que est inter Thar et Tharnesiam usque ad terram Sancti Ursini que erat de feodo Sancti Michaelis de Monte ; sed excambiaverunt eam monachis de Monte, sicut carte eorum super eodem excambio facte testantur. Hec autem omnia supra scripta dedit prenominatus Willelmus de Sancto Johanne Deo et canoniciis regularibus de Lucerna, partim, ut dictum est, per manum nostram, partim per manum predecessoris nostri Ricardi Constanciensis episcopi, in perpetuam elemosinam, libere et quiete et sine redditu et sine servitio et sine consuetudine et sine exactione, perpetuis temporibus possidenda. Que, ut rata monasterio predicto et canoniciis regularibus ibidem Deo servientibus permaneant, episcopali actoritate (sic) presentis etiam carte et sigilli nostri munimine, cum omni libertate confirmavimus. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini MC nonagesimo II apud Constancias, presentibus his : magistro Gaufrido de Burco Acardi, magistro Ricardo Hairon, canoniciis Constanciensibus ; magistro Gaufrido le Cheminant, precentore Constanciensi, Johanne, capellano de Heenvilla, Radulfo de Dragavilla, canonico de Lucerna, et pluribus aliis.